

etc., vel ex libera contrahentium voluntate, ex. gr. si pars catholica sponsalia iniret cum haeretica, sub condicione contrahendi matrimonii quando haec ad fidem catholicam regressa foret.

2<sup>o</sup> Non valent sponsalia contracta inter tales personas, quando impedimentum sola dispensatione cessare potest, sed ex iis est in quibus Papa dispensare nequeat vel numquam soleat, ex. gr. inter fratrem et sororem; vel si Papa in impedimento dispensare quidem solet, sed desunt causae sufficientes ob quas dispensatio obtineatur. In utroque enim casu objectum contractus censendum est impossibile.

3<sup>o</sup> Valent sponsalia hujusmodi quando, obtenta jam dispensatione, consensus renovatur vel explicite vel implicite, ex. gr. procedendo ad proclamationes: tunc enim personae jam habiles sunt.

4<sup>o</sup> Si impedimentum est dispensabile adsuntque causae sufficientes ad dispensandum, probabilius valent sponsalia inita sub condicione: " Si Papa dispensaverit. „ Ratio est: quia talis condicio neque ut turpis, neque ut impossibilis haberi potest. Sic et alii actus in Jure Canonico valent sub condicione consensus a Principe impetrandi, ex. gr. resignatio beneficii cum pensione sub condicione quod Papa approbaverit. Ita multi DD. tum antiquiores (Schmalzgr. in 4. Decr. t. 5 n. 82), tum recentiores. (S. Alph. n. 843; Ball. P. n. 101)

Nihilominus probabilis et tuta est sententia nullitatem talium sponsalium asserens, quam cum pluribus antiquioribus tenent Feye (de Imp. et Disp. n. 394), Aichner (Comp. J. Eccl. § 159), De Becker (de Spons. et Matr. p. 14). Afferunt rationem intrinsecam: eos qui inhabiles sunt ad matrimonium, censi etiam inhabiles ad sponsalia, sive absolute, sive condionate contrahenda. Si enim hujusmodi sponsalia condionate contracta valerent, statim ab initio, dum contrahuntur, valida et obligatoria esse deberent. Nam dispensatio, deinceps re ipsa obtenta, hanc tantummodo vim habet ut personae, ex tempore obtentae et ipsis communicatae dispensationis, fiant habiles ad valida sponsalia contrahenda, non vero ut firmetur actus ante obtentam dispensationem gestus inter personas perpetuo jure inhabiles. Nam " non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit. „ (Reg. J. 18<sup>a</sup> in 6<sup>o</sup>) Praecipue nituntur praxi S. Rotae Romanae et decisionibus S. C. C. quae, in causis Brugnat. 26 Jan. 1707 et Januen. 12 Dec. 1733, statuit sponsalia in iis adjunctis contracta non sustineri. Hoc tamen argumentum minime apodicticum est. Etenim in his causis, S. C. sententiam tulisse videtur tantum in favorem illius qui a contractu recedebat ante condicionem impletam: quare non apparet quo jure haec responsa applicentur casibus in quibus jam impleta sit condicio, quae necessaria est ut absolute valeant sponsalia. (Ball. P. n. 102 sqq.) Sed si impedimentum ex iis est in quibus Ecclesia velut invita dispensat, ut sunt impedimentum

dirimens disparitatis cultus (n. 487) et impediens mixtae religionis (n. 517), praxis Ecclesiae multo manifestius sponsalium cum iisdem contractorum nullitatem demonstrat. Ita S. Inqu. in Instr. 12 Dec. 1888 ad Episc. Rit. Orient. data (Coll. P. F. n. 1444), illicita atque adeo invalida esse docet sponsalia inter partem catholicam et alteram schismaticam seu haeticam, antequam obtenta sit dispensatio, celebrata.

**443. QUAER. II.** Num ante vel post contractum sponsalium manifestandi sint defectus occulti quibus singulae partes laborent.

**RESP.** 1<sup>o</sup> Nullus tenetur aperire defectus qui reddant nuptias minus quidem appetibiles, non tamen perniciosas, praesertim si aliquam infamiam habeant adjunctam, ex. gr. si sponsa vi vel sponte fuisset corrupta, dummodo tamen contrarium positive verbo factove non simulet, potestque interrogatus licite dissimulare et contrahere matrimonium, Ratio desumitur tum e consuetudine, tum ex eo quod nemo obligatur ad propalandum suum defectum cum propria infamia, si non laedat jus alterius.

2<sup>o</sup> Non licet dissimulare defectus qui futuri sint perniciosi, ex. gr. morbum contagiosum, praesertim venereum, gravem infamiam personae vel familiae, praegnationem ex copula cum alio ortam, etc. Id a fortiori concluditur ex injustitia, quae committitur ab eo qui vendit merces noxias credenti bonas. (Bus. ap. S. Alph. n. 863) Cfr. Vol. I. n. 629.

## § 2. DE SPONSALIIUM OBLIGATIONE.

**444. I.** Nulla datur obligatio praemittendi sponsalia matrimonio: nulla enim inordinatio in eorum omissione cernitur, neque ulla lege ecclesiastica sponsalia matrimonio praemitti jubentur. Congruè tamen eidem praemittuntur, juxta morem quem Ecclesia, a Judaeis, aliisque antiquissimis gentibus acceptum, jugiter tenuit. Juvat enim hoc quasi praeludium matrimonii ut contractus quo vir et mulier se mutuo ad perpetuam et maxime intimam societatem juncturi sunt, maturius ineatur. Juvant etiam sponsalia ut christiani majore reverentia suscipiant matrimonii sacramentum, cui velut quaedam sacramentalia praemittuntur. (S. Th. 4. dist. 27. q. 2. a. 1) Neque vituperari possunt quasi justam matrimonii ineundi libertatem auferant vel ad infaustas nuptias impellant, dum index ad hunc contractum implendum adiget (quod ceteroquin a praxi hodierna fere alienum est). Etenim non est supponendum partem alteram, a qua pendet causae prosecutio vel remissio, instare velle ut pars infidelis matrimonium ineat cujus exitus sit futurus infaustus, atque

optimi DD. (Schmalzgr. in 4. Decr. t. 1. n. 94) monent iudices ne matrimonii obligationem urgeant ubi timentur mala majora, sed ut potius aliam satisfactionem parti infideli erga laesam imponant.

II. Sponsalia obligant sub gravi ad ineundum matrimonium promissum. Nam, ob repromissionem, constituunt contractum onerosum ex justitia obligantem et quidem in materia aperte gravi; jamvero omnis contractus onerosus in materia gravi sub gravi obligat.

III. Si nullus terminus praefixus est, sufficit ut promissio impleatur pro more regionis: ex hoc enim quilibet contractus interpretandus est. (Vol. I. n. 593)

Non omnino convenit inter AA. utrum, in hac hypothesisi, promittens exspectare possit donec altera pars suum jus requirat, an teneatur matrimonium inire statim ac commode possit. Dissensus circa verba potius quam circa rem vertitur. Nam, ut scite advertit S. Alph. (n. 845), omnes consentiunt licite exspectari quando altera pars, cum possit commode petere, sileat et ita tacite in dilationem consentiat; illicite, si altera pars a matrimonio petendo deterreatur pudore vel timore, ut praecipue in feminis usu venit.

IV. Sponsalia obligant ad vitandum commercium carnale cum tertia persona: nam injustum foret tradere tertio corporis usum qui alteri parti soli promissus est.

Hanc injuriam plerique AA. cum Sanchez (de Matr. l. 1. disp. 2. n. 6) levem reputant in fornicatione sponsi, gravem in fornicatione sponsae: quia, e communi aestimatione hominum, sponsa, non vero sponsus, fornicando se multo deteriorem reddit in ordine ad nuptias ineundas. Attamen, praesertim ob extrinsecam DD. auctoritatem (Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 178; S. Alph. n. 847; D'Annib. III. n. 512. nota 46), probabile censemus injustitiam etiam in sponsa esse per se levem, ideoque in confessione non esse manifestandam circumstantiam sponsalium, nisi talia sint fornicationis sponsae adjuncta ut maritus facile cogi possit ad alendam alienam prolem.

V. Sponsalia posteriora, contra priorum fidem inita, sunt invalida: quod enim uni promissum est, alteri promitti jam non potest. Neque firmantur juramento addito: quippe quod foret vinculum iniquitatis: neque copula quae haberetur cum secunda sponsa, priorum sponsalium conscia: nam haec nullam compensationem petere potest pro crimine cujus particeps fuit. Idem censemus tenendum cum S. Alph. (n. 848), Ball. P. (n. 171 seqq.) et communi sententia, etiamsi copula habita

fuerit cum secunda sponsa, priorum sponsalium ignara. Etenim per injuriam illatam posteriori sponsae non aufertur jus prioris. Plures hujus sententiae asseclae (Schmalzgr. in 4. Decr. t. 4. n. 47) opinantur priorem sponsam, saltem ex caritate, in foro interno teneri ad renuntiandum juri suo, quando damnum alteri sponsae illatum aliter reparari nequit quam per matrimonium contrahendum. Sed haec restrictio parum probabilis est: siquidem caritas non obligat cum gravi incommodo, neque apparet cur prior sponsa posteriorem eripere debeat e calamitate in quam se per voluntarium delictum conjecit. Aliter dicendum esset si praecessisset sola promissio matrimonii acceptata, et sequerentur sponsalia cum copula. Obligatio enim fundata in sola voluntate promittentis nequit praepredicare juri alieno, orto e natura contractus e damno illato: siquidem debita e contractu oneroso praeferenda sunt debitis e contractu gratuito, etiam praecedente. (Lugo, de Just. et J. disp. 12. n. 45).

445. VI. E sponsalibus oritur semper **impedimentum** impediens ne matrimonium licite cum tertia persona contrahatur; quandoque etiam impedimentum dirimens quod publicae honestatis dicitur: de quo cfr. n. 483. (1)

VII. Sponsalia inita sub **condicione suspensiva**, ex. gr. si tale munus assecutus fuero, obligant ad exspectandum eventum futurum in condicione positum; unde et irrita sunt sponsalia quae cum tertia persona ante hunc eventum inirentur. Quamprimum autem verificata est condicio, valent absolute et obtinent effectus absolutorum sponsalium, dummodo neutra pars consensum suum revocaverit. (Sanch. de Matr. l. 5. disp. 6. n. 8; Schmalzgr. in Decr. l. 4. t. 5. n. 33. seqq.)

VIII. E dispositione Juris Canonici (Decr. l. 4. t. 1. c. 29), invalida est **poena** quae contractui sponsalium ita adjiciatur ut, etiam ob justam causam resilienti, solvenda sit: ratio est, ne justa libertas matrimoniorum impediatur. Probabilius haec Juris dispositio non est extendenda ad poenam, quae solvenda esset tantum ab eo qui injuste resiliret. Sed,

(1) E sponsalibus oriebatur usque ad nuperrima tempora effectus quidam juridicus in iis locis, in quibus decretum Trid. de clandestinis matrimoniis non est receptum. Nempe, si sponsi in iis locis carnalem copulam habebant, haec, tum in judicio, tum extra judicium pro vero consensu matrimoniali habenda erat: atque haec juris praesumptio tam firma erat ut nec probationem in contrarium admitteret. Sponsalia igitur per hanc copulam in matrimonium transibant. Hanc vero praesumptionem penitus abrogavit Leo PP. XIII. decreto edito per S. Inq. 14 Febr. 1892. (Coll. P. F. n. 2179)

ut fatentur plures hujus sententiae fautores (Schmalzgr. in 4. Decr. t. 1. n. 140; Ball. P. n. 229), contraria quoque sententia probabilis est, ideoque confessarius nequit obligare injuste resilientem ad poenam exsolvendam.

Generalis haec prohibitio Juris se non extendit ad *arrhas* quae solebant adjici sponsalibus. Hoc nomine veniunt ea quae sponsi sibi invicem tradunt ea lege ut, si matrimonium non fuerit secutum, injuste resiliens amittat quod dederit, et quod acceperit reddere debeat; a consuetudine autem pendebat utrum, matrimonio secuto vel neutrius culpa impedito, *arrhae reddendae* essent ei qui eas tradidisset, an servari possent. Cum a moribus nostris *arrhae recesserint*, fusius de his non dicemus. Videsis Schmalzgr. l. c. n. 126 seqq. Cum *arrhis* non sunt confundenda *munera* quae praesertim a sponso tradi solent sponsae. Haec sequuntur regulas generales de donationibus. Quando sunt exigui valoris pro fortunis sponsi, censenda sunt absolute donata, ideoque numquam restitutionis oneri subjacent. Si vero majoris sunt momenti et videntur data tantum intuitu matrimonii futuri, reddenda erunt quando matrimonium non sequetur. Probabiliter tamen servari possunt, si ex culpa sponsi sponsalia solvuntur: quia praxis communis est ut ille hanc jacturam in poenam infidelitatis suas faciat. (Gury, II. n. 728)

### § 3. DE SPONSALIIUM DISSOLUTIONE.

**446.** Sponsalia absolute et valide contracta duplici ratione solvi possunt: vel ipso jure ex utraque parte, vel per voluntatem unius cui datur justa causa resiliendi, quamvis posset non resilire. (Aichner, op. cit. § 161)

#### I. Ipso jure et ex utraque parte dissolvuntur sponsalia:

1° Mutuo contrahentium consensu. Nam "omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur" (Decr. l. 5. t. 41. c. 1), vid. nisi constet aliunde inductum esse vinculum indissolubile, ut de matrimonio, non autem de sponsalibus constat. Ad liceitatem talis dissolutionis requiritur causa rationabilis, cujus defectus tamen non inducit nisi veniale peccatum. Idem dicendum etiamsi sponsalia juramento firmata fuerint, quia omni juramento in alterius utilitatem emisso inest tacita condicio: *nisi ab isto remittatur*. De sponsalibus quae forte inter impubes contrahantur, peculiaris exstat Juris dispositio (Decr. l. 4. t. 2. cc. 6 et 8); vid. quamvis valida sint, licet utrique parti, statim ac pubertatem adepta sit, ab iis resilire, etiamsi altera pars adhuc impubes manet.

2° Si sponsalibus supervenit impedimentum absolutum seu quod dispensatione tolli nequeat, qualis esset amentia vel impotentia perpetua, susceptio ordinis sacri, sollemnis professio religiosa. His probabilius adnumerandum est matrimonium cum alia contractum: quia sic homo ponitur in statu qui, ex natura sua, repugnat obligationi ducendi priorem sponsam, et ex se perpetuus est. Obligatio igitur sponsalium non tantum suspenditur, sed prorsus cessat, quia incidit in eum statum in quo incipere non potuisset. Multi tamen, cum S. Alph. (n. 875), censent per subsequens matrimonium suspendi tantum obligationem sponsalium, et, mortuo conjuge, iterum urgere, si pars injuste derelicta exspectaverit et jus suum obtinere voluerit. Nituntur praecipue hac ratione: annullationem sponsalium nullo jure probari: non positivo, cum nullus textus afferatur; non naturali, quia obligatio sponsalium prius initorum consistere potest cum matrimonio, saltem quatenus illa respicit tempus istius per obitum dissoluti.

3° Probabiliter per votum servandae perpetuae castitatis vel suscipiendi ordines sacros. Ratio praecipua est: promissionem sponsalium semper fieri sub tacita condicione: *nisi melior status eligatur*. (S. Alph. n. 873) Alii tamen probabiliter contendunt his votis tantum dari alteri parti jus resiliendi a sponsalibus, si ipsa voluerit: quia Deus non acceptat promissionem rei alteri promissae et ab eo acceptatae. Probabiliter quoque solvuntur sponsalia per ingressum alterutrius partis in religionem vel per votum eandem ingrediendi. Eadem enim hic militat ratio ac pro duobus votis supra dictis. Qui enim religionem ingreditur vel ingredi vovet, ex sincera voluntate se dicandi Deo, eligit statum meliorem eumque amplectitur quatenus id ei licet in praesenti disciplina, in qua nemini datur facultas emittendi vota religiosa, non praemisso noviciatu. (Sanch. de Matr. l. 1. disp. 42; Ball. P. n. 344) Eadem quoque ratio urget pro eo qui, post sponsalia inita, ordines minores suscipit, dummodo sincerum animum ordines sacros suscipiendi foveat. Quare, etiam in hoc casu, opinamur non tantum dari alteri parti jus resiliendi a sponsalibus, ut censet Ball. P. (n. 339), sed et solvi sponsalia ex utraque parte. Cfr. De Becker, p. 19. Neque ullam rationem videmus ob quam aliter dicendum esset de eo qui, cum eodem animo, seminarium theologicum ingrederetur: cum haec quoque sit via hodie communis ad ordines suscipiendos.

4° Per dispensationem a R. P., non autem a quolibet inferiore, justa de causa concessam. Commune enim bonum postulat quidem ut summus princeps dispensare possit in jure quod tertio quaesitum est, minime vero ut eadem facultas sit penes principes subordinatos.